UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81950

Visual Library

bus, quando verbo propriè significanti additur aliud significans metaphoricè, quantum fieri potest, retinenda est significatio propria, unde, cùm in eo textu dicantur, *remissæ iniquitates, & tecta peccata*, non trahenda est significatio propria verbi *remitto* ad metaphoricam significationem verbi *tego*, sed ècontra. videatur Eximi. Doctor lib. 7. de gratia cap. 10. num. 11.

19. Fit 2. Similidudines, cùm non sint identitates, intelligendas, & exponendas esse per convenientiam quoad aliqua, non quoad omnia; unde, quando Paulus dixit ad Romanos 5. *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituuntur multi.* Convenientia in eo stat, quòd, sicut ex uno homine, nempe Adamo per inobedientiam culpa duxit originem, ita ex uno homine, nempe Christo per obedientiam justificatio duxit originem; at cum hoc rectè stat disconsconvenientia in aliis: nam peccatum inobedientiæ Adami non se extendit ad aliquos actu realiter, & absolutè productos ante Adamum; meritum verò Christi se extendit ad omnes homines, non solùm post Christum, sed etiam absolutè productos ante Christum; aliud quoque est discrimen, quia Christus merens se habet, sicut causa universalis ad eum modum, quo Deus concurrit cum creaturis, qui non expellit, sed requirit simultaneum creaturæ concursum; ita, ut creatura, quæ simultaneè non concurrit, nullo modô physicè concurrat; ita etiam merita Christi requirunt simultaneum concursum, vel quo parvulis applicatur Baptismus, vel quo adulti cum gratia auxiliante cooperantur, ita, ut si non cooperentur, nequaquam mereantur.

20. Quare, sicut malè argueretur, quòd omnipotentia non haberet infinitam virtutem, quia non facit omnia se solo, sed facit plura cum simultaneo creaturæ concursu; ita malè argueretur, quòd Christi merita non sint infinita ex eo, quòd nolit dare creaturis gloriam, aut gratiam justificantem absque simultaneo earum concursu: ex quo, sicut parvulis applicatur, atque ab ipsis contrahitur peccatum Adami media generatione, ita applicantur parvulis in Baptismo merita Christi per regenerationem: at peccatum originale non est qualitas intrinseca, sicut gratia, qua parvuli ex Christi meritis regenerantur, in quo merita Christi excedunt peccatum Adæ quoad influxum in posteros; excedunt insuper, quia adultis, quamvis regenerati non sint, conferuntur media ex influxu meritorum Christi, quibus, si per ipsos non stet, possint ad regenerationem pervenire, ut latè diximus agentes de auxiliis.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

21. OBjicies 1. contra primam conclusionem: gratia nos sanctificans vocatur ad Romanos 3. *justitia Dei*, & 1. Corinthiorum 1. dicitur etiam *Christus justificatio, & sanctificatio nostra*; atqui justitia Dei, & Christus Dominus non sunt accidens, sed substantia; ergo gratia, qua justificamur, non est accidens, sed substantia. Confirmatur. Gratia, qua sanctificamur, non est aliquid intrinsecum, quo deleantur peccata, sed purè extrinsecum, quo peccata teguntur; ergo non est accidens nobis intrinsecum, sed substantia, sive sanctitas Dei nobis extrinseca. Probat. anteced. ex Psalmo 31. dicente: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; quod etiam habetur Psalmo 84. ergo &c.

Respondeo dist. maj. vocatur justitia Dei, & Christus justificatio nostra causaliter, conc. formaliter, neg. maj. & concessa min. neg. consequent. quia gratia, qua sanctificamur, eatenus dicitur justitia Dei, quatenus est, & datur nobis ab ipso Deo, ideóque, quia datur per merita Christi, dicitur etiam Christus sanctificatio nostra. At, cùm ea gratia, quæ datur à Deo per merita Christi, neque sit ipse Deus, neque ipse Christus, exinde justitia nostra non dicitur formaliter, sed causaliter justitia Dei, & Christi, ut docet Tridentinum citat. num. 1. Sic sæpe in Scriptura Deus dicitur Sapientia, Virtus, & Fortidudo nostra, quod sanè non intelligitur formaliter, sed solùm causaliter, quatenus illa sunt dona nobis à Deo liberaliter concessa; si enim Apostolus omnibus omnia factus est, quia in omnium se se fundebat affectus, quid de Deo, & Christo dicendum erit, à quo, per quem, & in quo habemus omnia? Ad confirmationem neg. maj. ac probat. conc. anteced. & neg. conseq. quia peccata tegi coram oculis Dei, est non remanere, & esse destructa; ac proinde in eo textu significatur dari nobis formam, per quam destruuntur; quod etiam fit evidens ex regula interpretandi Scripturas adducta n. 18.

Objic. 2. contra secundam conclusionem. Habitus est qualitas se habens ex parte potentiæ ad producendum suos actus; atqui gratia non est qualitas productiva actuum, sed radicativa virtutum producentium actus; ergo non est habitus. Confirmatur. Concilium Viennense non definivit ut certam sententiam dicentem, gratiam esse habitum, sed eam duntaxat admisit tanquam probabiliorem; ergo adhuc est probabile, quòd non sit habitus. Resp. 1. dist. maj. ad producendum ut principium proximum, vel remotum, conc. semper ut principium proximum, neg. maj. & distincta min. neg. consequentiam; quia ex eo, quòd gratia sit radix habituum immediatè producentium, est jam principium mediatè productivum, quod satis est ad constituendum in ratione habitûs qualitatem permanentis gratiæ se habentem ex parte potentiæ, neque quidquam aliud desiderant Theologi in præsenti. Ad confirmationem omitto anteced. & neg. conseq. quia ex Tridentino satis infertur, gratiam

gratiam justificantem habere omnia, quæ requiruntur ad rationem habitûs, & id ipsum ostendunt Catecismus Trident. & Moguntinum, ut constat à num. 5. Dixi omitto ant. quia Theologi communiter censent, per ea verba Viennensis manere jam certam eam sententiam, quæ ante Conciliarem Viennensis approbationem erat inter DD. probabilior; si enim solùm mansisset probabilior, quid egisset illa approbatio Concilij?

24. Objic. 2. contra tertiam assertionem, & præsertim contra primam partem. Tridentinum sess. 6. Cap. 11. damnat asserentes, homines justificari sola remissione peccatorum, exclusâ gratiâ, & charitate; & Cap. 7. dixerat de gratia, esse *sanctificationem per susceptionem gratiæ, & donorum*; tum etiam Scriptura sæpe citat. *Justum ex fide vivere, atque fidem justificare*, ut constat ex num 16. ergo gratia sanctificans essentialiter sumpta constituitur ex charitate, & ex fide, vel saltem aut sola charitas, aut sola fides sunt reverâ forma sanctificans. Respondeo 1. concess. ant neg. conseq. quia, ut dicatur justificationem non fieri sine charitate, aliisque donis supernis, seu virtutibus per se infusis, fidei, spei, charitatis &c. satis est, quòd gratia justificans non reperiatur sine illis, at, ut ipsæ virtutes essent forma sanctificans, requirebatur, quòd se ipsis formaliter sanctificarent, quod clarè pugnat cum Conciliis adductis tribuentibus hoc munus soli qualitati gratiæ, ut constat ex dictis.

25. Objicies 4. contra alteram conclusionis partem. Actus fidei, & spei possunt manere in anima absque gratia sanctificante; ut patet in peccatore; ergo non sunt proprietates gratiæ, proindeque gratia non constituitur integraliter ex illis; sicuti natura integratur ex suis proprietatibus. Respondeo nego consequentiam; quia, licèt fides, & spes non essent proprietates gratiæ, adhuc esset quasi proprietates; sicut gratia ipsa est quasi natura ex dictis num 20. Quod satis erat, ut gratia integraretur ex illis habitibus. Ad eum modum, quo natura ex suis proprietatibus. Quin potiùs ad proprietatem non requiritur, quòd non possit manere sine essentia, aut natura, cujus est proprietas; calor enim potest manere sine igne in ligno, & frigiditas absque aqua, & tamen calor est proprietas ignis, & frigiditas est proprietas aquæ: satis quidem est, quòd natura exigat reperiri semper cum illis proprietatibus, quod jam convenit gratiæ, quæ nunquâ absque illis virtutibus per se infusis reperitur.

26. Objicies 5. contra quartam conclusionem. Charitas juxta Scripturam est illa, qua fit homo filius Dei, ut constat ex illo 1. Joannis 3. *Videte, qualem charitatem dedit vobis Pater, ut filij DEI nominemur, & simus*; ergo charitas est gratia justificans. Confirmatur 1. ex Paulo 1. Corinth. 13. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest*; atqui, si gratia sanctificans distingueretur realiter à charitate, poterat Paulo prodesse, licèt charitatem non haberet; ergo &c. Confirmatur 2. Omnia munia gratiæ sanctificantis tribuuntur charitati in Sacra Scriptura. Sic ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate.* 1. Petri 4. *Charitas operit multidudinem peccatorum.* Proverbiorum 10. *Universa delicta operit charitas.* Ad Colossenses 3. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*; ergo charitas non distinguitur à gratia justificante. Retorqueri inprimis posset argumentum in aliis virtutibus per se infusis, quibus tribuuntur munera charitatis, ut constat ex num. 16. Deinde in forma

Resp. 1. dist. ant. qua homo fit filius Dei, si charitas sumatur pro dono nobis à Deo misericorditer collato, conc. si sumatur pro virtute, subdist. qua fit homo filius Dei arguitivè, sumptô argumentô ex instrumento nobiliori gratiæ, conc. formaliter, neg. ant. & in eodem sensu conseq. ex dictis num. 15. & 17. Ad primam confirmationem conc. maj. & nego min. quia Paulus loquitur, prout res se habent in hac providentia, in qua nunquam reperitur charitas sine gratia, & gratia sine charitate, ut constat ex Viennensi, & Tridentino citatis num. 15. Ad secundam confirmationem dist ant. tribuuntur charitati tamquâ nobiliori instrumento, semperque conjuncto cum gratia, conc. tamquam qualitate se ipsa formaliter justificante, nego anteced. & conseq. Quòd autem in eo sensu debeant exponi ea Scripturæ testimonia, constat ex aliis testimoniis Scripturæ, in quibus gratia traditur distincta à charitate, ut diximus num. 14. & ex Conciliis in sensu assertionis nostræ Scripturam exponentibus; ut constat ex num. 11. quin potiùs ait Amicus: hoc etiam infertur ex intentione Apostoli, qui fideles hortabatur ad opera egregia charitatis, unionemque cum Deo in suis operibus, proindeque non loquebatur de habitu formaliter sanctificante, qui immediatè non est operativus; sed de habitu virtutis charitatis, aut de ipso actu, qui injusto deservit ad gratiæ incrementum, & in peccatore est ultima dispositio ad justificationem; quare Paulus ait, *inter virtutes majorem esse charitatem*, ut constat ex num. 7. licèt gratia sanctificans sit major ipso habitu charitatis. 27.

Objicies 6. Postquam Tridentinum sess. 6. Cap. 7. dixit, *unica formalis causa nostræ justificationis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit*, explicans hanc formam justificantem subjungit: *quamquam nemo potest esse justus, nisi cui merita Passionis Domini Nostri JESU Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret*; ergo ex Tridentino charitas se ipsa formaliter justificat. Confirm. 28.

firm. 1. Trid. in eodem textu hæc verba immediatè subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorũ hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur fidè, spem, & charitatem*: & in illis verbis enumerat gratiam sub nomine charitatis: ergo &c. Confirm. 2. ex Augustino libro de natura, & gratia cap. 42. *Si in Abel justo charitas Dei, qua una verè justus est, quicunque justus est.* & cap. 10. *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est, charitas magna, magna justitia est, charitas perfecta perfecta justitia est.* & lib. 15. de Trinitate cap. 8. *Nullum est isto Dei dono excellentius, solùm est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*; ergo ex Augustino gratiæ sanctificans identificatur cum charitate. Confirm. 3. Si gratia sanctificans distingueretur à charitate, posset ab illa separari, & manere in peccatore charitas sine gratia, proindeque charitas non distingueret filios regni à filijs perditionis æternæ.

29. Resp. conc. ant. & dist. conseq. charitas se ipsa formaliter justificat, si sumatur charitas pro nobiliori dono collato misericorditer à Deo, conc. si sumatur pro virtute, neg. conseq. quia illud Trid. testimonium vel ita exponitur, ut significetur per Spiritum Sanctum specialiter in nobis inhabitantem per gratiam conferri quoque virtutem charitatis, sicut proprietates conferuntur, quando confertur natura? & sic per Spiritum Sanctum in sanctificatis specialiter inhabitat, conferuntur justo fides, & spes, & charitas; vel ita exponitur Trid. ut in eo textu significetur ea gratia sanctificans, & vocetur charitas sumpta in sensu explicato num. 13. quocumque autem ex his modis accipiatur, manifestè apparet, gratiam sanctificantem esse realiter distinctam à virtute charitatis, neque aliter exponi potest, quin adversetur doctrinæ Viennensis, ipsius Tridentini adducti num. 15. Moguntini, & Catechismi ipsius Tridentini, quæ contradictio nequaquam est admittenda. At nostram expositionem consentaneam omnino esse doctrinæ D. Thomæ constabit num. sequenti.

30. Ad primam Confirmationem conc. maj. & neg. min. quia Tridentinum in eo textu loquitur de donis comitantibus gratiam justificantem, ut constat ex num. 15. ac proinde supponit ea dona distincta realiter à gratia sanctificante. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. conseq. quia Augustinus in illis testimonijs aut loquitur de charitate contradistincta à virtute, aut sumpta pro nobiliori dono collato misericorditer à Deo diligente nos, qui quidem conceptus non quidem virtuti charitatis, sed gratiæ sanctificanti convenit. Si primum loquitur de justificatione arguitivè, sed quid inde contra nos? vel loquitur de charitate non quidem habituali, sed actuali, ut alij intendunt, quæ est ultima dispositio ad gratiam, ideoque nunquam est informis, quod non convenit actibus aliarum virtutum; unde, quicunque justificatur extra Sacramenta, sive vi dispositionis, quam agit, obtinet gratiam, & unica hac charitate actuali sic se disponere potest. Unde justificatio convenit charitati actuali non quidem formaliter, sed dispositivè. Ad tertiam Confirmationem dist. ant. posset ab illa separari in alia providentia, conc. in hac providentia, neg. ant. & in eodem sensu conseq. quia, ut habet D. Thomas quæst. 27. de Veritate artic. 2. ad 6. *Dicendum, quod hoc, quòd charitas sola distinguat inter filios perditionis, & regni, convenit ei, in quantum non potest esse informis, sicut aliæ virtutes.* Unde per hoc non excluditur gratia, qua ipsa charitas formatur.

Integram solutionem nostram habet latè D. Thomas loco citato, eamque probat ratione, & Dyonisij Authoritate. Ratione quidem, quia potentiæ accidentales, quales sunt ad operandum virtutes per se infusæ, fundantur in natura aliqua, in qua radicantur, ex quo habuit originem axioma illud Philosophicum: *Prius est esse, quàm operari.* Unde, si divinitùs separentur à natura, in qua radicantur, non potest manere subjectum cum ea denominatione, quam natura ea illi præstabat. Sic gravitas, quæ est potentia accidentalis movens deorsum naturam, in qua radicatur, manet in Eucharistia, ubi substantia non manet. Quod autem se habeant ad eum modum virtutes respectu gratiæ, docet cum Dionysio in eo loco D. Thomas per hæc verba: *Sicut in rebus naturalibus est aliud natura ipsa, quàm inclinatio naturæ, & ejus motus, vel operatio: ita & in gratuitis est aliud gratia à charitate, & à cæteris virtutibus*: & quòd hæc comparatio sit rectè accepta, patet per Dionysium in 2. cap. Hyerarchiæ. ubi dicit: *quòd non potest aliquis habere spiritualem operationem, nisi prius esse spirituale accipiat; sicut nec operationem alicujus naturæ, nisi priùs habeat esse in natura illa.*

DISPUTATIO II.

DE OPPOSITIONE PHYSICA GRATIÆ CUM PECCATO.

32. CUm gratia sanctificans sit qualitas Physica, atque cum peccato opposita, sub hac consideratione oppositio gratiæ cum habituali peccato dicitur Physica. Cæterùm, quia peccatum habituale stat in peccato actuali præterito non dum destructo, remisso, aut condonato, proindeque non physicè, sed moraliter perseverante. Ea de causa in hoc sensu oppositio gratiæ